



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Correptio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

A D D I T I O.

Omnes contumeliæ, id est, injuriæ publicæ contra honorem, ejusdem sunt speciei: itemque omnes detractiones, id est, occultæ contra famam injuriæ.

Contumelia ex genere gravior est furto: potest tamen furtum ex quantitate gravius esse; quia læditur honor, qui divitiis potior. Cajetan. *vers. contumelia.*

Correptio.

Vide v. *Charitas.*

Correptio.

Corripere tenetur quisque proximum de peccato, quod certo scit esse mortale, si potest sine suo gravi damno, & credat profuturum, nec illum sine correptione emendandum, estque tempus corripiendi opportunum. Navar. *c. 24. n. 12.* Fu. *corrept. nu. 2.*

Cum periculo mortis non teneri privatum ad corripiendum, & prælatum sub veniali, dixit Vict. Cajet. & alii contrarium docent, & Bannes *2. 2. quæst. 33. art. 3. dub. 4.* si peccator sit in fine vitæ.

Correptionem omittere aliquando virtus charitatis, aliquando p. m. interdum peccatum veniale. Sot. *concl. 5.*

Culpa.

Culpa lata dicitur, quam homines communiter vitare solent; levis, quam diligentes; levissima, quam diligentissimi. Vide Sylv. *culp. n. 1.* Garz. *c. 2. n. 14. de cont.* Navar. *c. 17. n. 178.* P. N. l. *2. c. 1. n. 52.*

Si contractus sit in favorem unius solùm, tenetur is de culpa, etiam levissima, alter verò solum de dolo; si autem in favorem utriusque, uterque tenetur de levi. Ita Navarr. cum Jureconsultis, quod servandum in foro exteriori, alioqui in conscientia nemo tenetur, nisi de culpa lata, seu mortali: nisi aliud sit conventum; aut res esset ejusmodi, quæ exactam requireret diligentiam, & per negligentiam læsa esset; quam